



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. LVI. Instituti Anglicani, ubi resolvuntur quædam Dubia de Statu
Virginum Anglicanarum, earúmque Votis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

CONSILIUM LVI.

De Instituto Anglicanarum Virginum,

Votisque ab his emitti solitis.

SUMMARIUM.

1. *seqq. Facti Species, ubi refertur Orus & Progressus Instituti Virginum Anglicanarum.*
6. *seqq. Virgines ista non sunt in Statu Religioso.*
9. *seqq. Institutum earum est Status in se perpetuus.*
12. *Institutum hoc est merè saculare, pium tamen & laudabile.*

13. *seqq. Dissolvuntur, quæ opponi possent.*
16. *seq. Vota ab Anglicanis Virginibus emissâ solita non sunt Religiosa.*
18. *seqq. Sunt tamen vere Vota.*
21. *Solvuntur argumenta contraria.*
22. *seqq. Virgines Anglicana possunt Vota sua deponere in manibus Superiorissâ.*

FACTI SPECIES.



Institutum Anglicanarum Virginum, primò Audomaropoli circa Annum 1609. à Maria de Warth, Virgine Anglicana Nobilissima ceceptum, quamprimum uberes in eâ Civitate fructus protulit, ita, ut quemadmodum loci Episcopus per publicas Literas de dato 10. Febr. 1617. à P. Corbiniano Khamm Hierarch. August. Prodrom. p. 3. Regular. Relat. 6. fol. 544. descriptas testatus est, re ad Summum Pontificem delatâ, Sanctitati suæ, & S. Congregationi Card. Conc. Trid. Interpp. placuerit Nobilium harum Virginum, in eâ Civitate unâ degentium, vivendi ratio, in sua, & aliarum salute, ac Perfectione promovendâ, & eas - non solum ipsi loci Episcopo commendatissimas esse voluerint, sed præcipuam earum protectionem ab ipso suscipi, & auxiliis, quibus poterit, ubi opus fuerit, juvari mandaverint, ut in tam laudabili Instituto suo, Divinâ ope adjuta, fructus quotidie ferant uberiores: in quem etiam snem & thesauris Ecclesiæ peculiare eis Indulgentias suæ Sanctitas concessit.

Hinc vulgatâ de hoc Instituto novo per alias Regiones famâ, idem Institutum per annos sequentes continua incrementa fecit; nam paulò post Leodium, Treviros, Coloniam, Neapolim, Monachium, Polonium &c. invitata, domicilio in his locis fixo, operam omnem contulerunt ad puellarum in scholis, à se cum Ordinariorum, & Principum Territorialium consensu apertis, instructionem, donec tandem, nescio, à quo, vel quibus, apud Sedem Apostolicam acculatae sunt, quòd specie Salutis Animarum promovendâ, opera permulta, sextis, & ingenii imbecillitati, ac modestiæ muliebri, ac Virginali præsertim pudori minime convenientia, & qua Viri Sacrarum Literarum Scientiâ, rerum usu, vitaque innocentia Spectatissimi, difficile admodum, & non nisi magnâ cir-

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

cumspectione adhibita, aggrediuntur, attentare, & exercere consueverunt. Addebatur, eas ducere Vitam Hæreticam, scandalosam, turpissimam, præ verecundiâ silentio involvendam &c.

Tot accusationes cum ex variis locis convenirent, ex Mandato Summi Pontificis Urbani VIII. Eminentissimus Cardinalis Boncompagnus iussit unâ cum Scholis earum Collegium dissolvere, & cujuscunque Nationis forent, sive Vota edidissent, sive tempus Probationis nondum implevissent, quamlibet in suam patriam, atque ad Parentes remittere. Quin ipsa Instituti istius authrix, memorata Maria de Warth, per Literas à S. Congr. S. Officii ad Dominum Decanum Collegiatae Ecclesiæ B. V. in Urbe Monacensi datas iussa est tanquam Hæretica, Schismatica, & Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ rebellis carceri mancipari: quod etiam Anno 1630. 7. Febr. effectui datum est, ipsaque Maria in Monasterio Clarissarum ibidem angustæ Cellæ inclusa fuit, donec tandem melius informatus Pontifex Monachium rescribi mandavit, ut libertati restitueretur, & restituta vel Romæ, vel alio in loco se sisteret, de Statu suo responsura.

Libertati asserta, nullâ interpositâ morâ, Romam illa tetendit, ubi cum laudatum Summum Pontificem Urbanum VIII. de sua, & filiarum suarum vitâ, & conversatione, ad ejus pedes prostrata, per idoneas attestaciones informasset, benignissimè ab eodem excepta, & post aliquod tempus, Literis ad omnes Nuntios suos, & Ministros locorum, quò erat cum sociabus suis transitura, amantissimè instructa, Anno 1637. 10. Sept. Româ dimissa est. Proinde post hoc tempus eadem Virgines prosecutæ sunt Institutum suum, non solum non contradicentibus, sed etiam approbantibus Locorum Ordinariis, ex quibus non pauci, & inter hos Archi-Episcopus Salisburgensis, & Episcopi Augustanus, ac Frisingensis, ut ex Literis eorum à P. Corbiniano Khamm l. cit. fol. 547. & seqq. relatis constat, collaudata

Li ii

sum.

summoperè earum exemplari vitâ, maximò-
que fructu, ex instructione Juvenum puel-
larum in Bonum publicum redundante, in
specialem ab ipsis protectionem suam rece-
pta sunt.

5.

Deesse videbatur sola Confirmatio Sedis
Apostolicæ, quâ ista Institutum hoc appro-
baret: & hanc Confirmationem Literis ad
Summum Pontificem Alexandrum VIII. da-
tis sollicitavit primò Episcopus Madaren-
sis in Anglia, qui in his suis Literis meminit, sibi
primo Vineâ hujus Anglicana culturam à Sanct.
mem. Innocentio XI. creditam fuisse. Secuti

hujus exemplum sunt Anno 1693. Serenissi-
mus, ac Reverendissimus Elector Colonien-
sis Josephus Clemens, 1701. Serenissimus
Maximilianus Philippus Dux Baviaræ, eo-
dem Anno Serenissimus, ac Reverendissimus
Alexander Sigismundus Episcopus Augusta-
nus, item dicto Anno Celsissimus, ac Re-
verendissimus Joannes Franciscus Episco-
pus Frisingensis, ipseque nuper defunctus
Serenissimus Elector Baviaræ Maximilianus
Emmanuel glor. mem. qui omnes cum plu-
ribus aliis Sanctam Sedem implorârunt pro
Confirmatione hujus Instituti. Atque ad
has Literas Sanctissimus Dominus Noster
Clemens XI. respondit, se abundè hoc pra-
stitisse, auctoritate Apostolica confirmando
Regulas, quibus innititur hoc Institutum: quod
fecit per Const. incipit *Inscrutabili* editam
5. Mart. 1703. ubi tamen addidit, se non in-
tendere per presentes ipsum Conservatorium
(Anglicanarum Virginum) in aliquo appro-
bare.

QUÆRITUR I.

An, & qualem Statum consti-
tuat Institutum Anglicanarum
Virginum?

6.
Conclu-
sio 1.

RESPONDEO I. Institutum hoc non
constituere Virgines illi adlectas in Sta-
tu Religioso. Responsio est extra contro-
versiam; quia, ut Status aliquis sit, & me-
reatur nomen veri Status Religiosi, essen-
tialiter requiritur, ut ille sit approbatus à
Sede Apostolica, ut vera Religio, neque
sufficit, si approbetur tantum ipse vivendi
modus

c. fin. de Relig. Domib. & c. un. eod. in 6.
Atqui Institutum Anglicanarum Virginum
non est approbatum à Sede Apostolica, ut
vera Religio, prout patet ex Const. Clem. XI.
cit. ejusque verbis expressis, ibi: *Ceterum
non intendimus per presentes ipsum Conservato-
rium in aliquo approbare.* Neque obstat,
quòd in eadem Const. Pontifex approbave-
rit Regulas, secundum quas Virgines istæ vi-
vunt; nam

7.

2. Regulæ istæ sunt tantum certus aliquis
vivendi modus, ad quem tenendum se Vir-
gines istæ obligant, quando assumuntur ad
hoc Institutum. Atqui juxta modò di-

cta ad constituendam veram Religionem non
sufficit, quòd talis vivendi modus à Sede
Apostolica sit approbatus. Hinc in allegata
Const. Pontifex confirmat Responsum S.
Congr. Card. negot. & consult. Episcop. & Regul.
praposis. edit. 15. Jan. 1706. ubi ad dubium,
à Celsissimo Frisingensi sibi propositum, *An
Virgines Anglicanae, in Communione, & sub
certa Regulâ, à Sede Apostolica approbatâ, vi-
ventes, dici debeant vera Religiosa? & Domus,
per ipsas inhabitata, censenda sit pariter Reli-
giosa?* Respondit negativè. Confirmatur,
quia

3. Ipsæmet Virgines Anglicanæ Institu-
tum hoc suum pro Ordine Religioso habere
nolunt, sed tantum pro pio quodam Insti-
tuto, quale etiam à Viris, ad serviendum
DEO, & Ecclesiæ in unum conspirantibus,
formari, & usurpari potest, prout est Insti-
tutum Clericorum Sæcularium in commune
vivendum, de quibus constat, quòd nec Reli-
giosi sint, nec pro talibus haberi ab aliis
velint.

RESPONDEO 2. Licet Virgines Ang-
licanæ in Statu Religioso non sint, tamen
Institutum illarum verè dici potest, & me-
retur Status in se perpetuus. Nam 1. In
Statu is dicitur esse, qui certum vitæ genus
sibi deligit, in eoque se firmiter collocat, ita,
ut ad aliud huic repugnans suo arbitrio tran-
sire non possit. Ita autem faciunt Virgines
Anglicanæ, quippe quæ eligunt Vitam ca-
elibem, seque obligant ad observanda Con-
silia Evangelica juxta Regulam, à Summo
Pontifice approbatam. Igitur verè dici pos-
sunt esse in Statu, & quidem de se perpetuo:
quod confirmatur, & ulterius probatur;
quia

2. Virgines istæ, post finitum tempus
Novitatus, per Vota Paupertatis, Castita-
tis, & Obedientiæ se totas DEO sacrifi-
cant, illique sacrificium hoc offerunt in odo-
rem suavitatis, promittuntque, se in Insti-
tuto isto constanter mansuras, ut habet For-
mula Votorum, ab his Virginibus emitti
solitorum, ibi: *Gelobe - - deiner Gött-
lichen Majestät / unserer Obristen Vor-
steherin Armuth / Keuschheit / und Ges-
horsam in dem Institut Mariæ, in welchem
ich verspreche beständig zu leben - - alle
versiehend nach Aufweisung der Sa-
zungen unseres Instituts.* Proinde, cum
per hæc Vota se totas DEO, & quidem in
perpetuum offerunt, verè eligunt Statum in
se perpetuum. Neque obstat, quòd hic
Status mutari ex causis rationabilibus possit;
nam

3. Etiam illi, qui in Societate JEtu Vota
Simplicia ediderunt, ex causis rationabilibus,
per Superiores approbatis, possunt mutare
Statum hunc suum, & nihilominus verè
sunt in Statu de se perpetuo: item Status
conjugalis est verè Status in se perpetuus,
licet per mortem alterius Conjugis dissolvatur.
Igitur etiam Status Virginalis, præter-

tim, si is Voto de se perpetuo, & sub certa Regula, à Pontifice, quamvis non sub nomine Status Religiosi, approbatâ, firmatus existat, verè Status, & quidem perpetuus dici potest. Quare dico, &

RESPONDEO 3. Institutum hoc esse merè Sæculare devotarum Virginum, piam tamen, & laudabile, quippe quod finem Sanctissimum, scilicet propriam salutem, & Instructionem bonam juvenum Puellarum habet: ad quem finem vitur mediis licitis, & sanctis; in ordine ad posteriorem quidem scholis cum autoritate, & permisso Ordinariorum, & Magistratûs loci apertis; in ordine ad priorem autem Voto Castitatis, quo se obstringunt, simulque se obligant ad vivendum sub obedientia Superiorissæ à se electæ juxta Regulas à Sede Apostolica nunc approbatas.

Neque obstat 1. Prohibitio

Concil. Later. sub Innocent. III. relati c. fin. de Relig. Domib. & Lugdun. sub Gregor. X. relati c. un. eod. in 6.

Nam in his Conciliis tantum prohibetur, ne quis de cætero novum Ordinem, aut Religionem adinveniat, aut habitum novæ Religionis assumat. Atqui Virgines Anglicanæ nullam profitentur Religionem propriè dictam, nec gestant habitum peculiarem alicuj Religioni proprium, sed vestiuntur more honestarum Virginum, quæ in sæculo Virginitatem voverunt, & ornamenta sæcularia depoluerunt. Concordat

Pignatell. tom. 2. consult. 65, fol. 133. num. 18. ubi cum Rodriq. qq. Regul. l. 3. q. 48. art. 4. Barbol. in c. nimia. de Relig. Domib. n. 3.

monet, sub dispositione textuum cit. non comprehendi illas, quæ Statum cum Votis simplicibus instituunt, cum hic Status non sit Religio, sed modus vivendi honestus, pius, & laudabilis.

Non obstat 2. Bulla Urbani VIII. incipit Pastoralis edita Idib. Januar. 1630. ubi Congregationem istarum Virginum, sub nomine Jesuitarum, earumque statum ab ortu sui primordio nullos, & invalidos, nulliusque roboris, vel momenti fuisse, & esse Apostolicâ autoritate declarat, & eadem autoritate penitus supprimit, & extinguit; nam prohibitio, & suppressio hæc nitebatur querelis, & accusationibus Num. 2. propositis, quæ si veræ fuissent, meritò talem Censuram Institutum istud fuisset commeritum. Quia verò de falsitate delationum istarum edoctus idem Pontifex dissolutioni Instituti istius non institit, sed potius Authricem illius, cum Sociabus in Germaniam redeuntem Commendatitii juxta Num. 4. paternè instruxit, factò ipso Decretum hoc suum revocasse censetur: & meritò; nam Ecclesia non intendit prohibere pia Instituta, piisque vivendi formulas, quæ non usurpantur sub nomine novæ Religionis: sed tantum illas, quarum professores se gerunt, & haberi volunt

R. P. Schmalzgrueber Conf. Tom. I.

pro Religiosis; tales quippe formulas, & Instituta non vult Ecclesia mandari executioni, nisi à Sede Apostolica sint approbata. Institutum autem Anglicanarum Virginum non ex hoc posteriore, sed priore duntaxat genere vivendi est, quippe quod profitentes Institutum hoc suum pro Sæculari duntaxat, & pio, non verò Religioso haberi volunt, nec Statum Religiosum illud profitendo assumere cogitant.

Non obstat denique 3. Quòd Clemens XI. juxta dicta Num. 6. licet approbaverit Regulas Instituti Anglicani, ipsum tamen Conservatorium istarum Virginum noluerit in aliquo approbare; nam in primis nostrum non est examinare factum Pontificis, sed causa negatæ approbationis exquirenda est à S. Congr. Card. negot. Episc. & Regul. præposit. Si divinare licet, causa fuit, ne videretur approbatione ista Conservatorium istud agnovisse pro Statu Religioso. Cæterum quòd idem Pontifex approbaverit Institutum hoc, inde patet, quia approbavit Regulas, seu modum vivendi istarum Virginum sibi propositum, quæ Regula, & modus cum conficiant verissimè ipsum Institutum, illas approbando etiam hoc approbasse censendus est; nam,

ut ait Pignatell. fol. 133. cit. n. 13.

secundum genus Congregationum mulierum est illarum, quæ in solenni Professione tria Vota substantialia non emittunt, sed cum, vel sine Votis observant quandam Regulam, à Sede Apostolica approbatam, quarum sicut approbatur Regula, ita etiam Status, & Institutum. Pro Confirmatione faciunt verba laudati Summi Pontificis, qui, ut Num. 5. relatum est, cum plures Magni Principes pro Confirmatione ejusdem Instituti, ejus merita, uberrimosque fructus extollendo, institissent, ad eorum preces Regulas ejusdem approbavit, & per hoc dixit, abunde se præstitisse, quod petebatur, approbando scilicet dictas Regulas, & quia his innotuit Institutum illarum, reipsa etiam hoc confirmando.

QUÆRITUR II.

An Vota, ab his Virginibus emitti solita, sint verè Vota, an solum promissiones?

CERTUM est, Vota hæc Religiosa, seu talia non esse, per quæ ea emittentes verè Religiosi efficiuntur; nam illa duntaxat Vota sub nomine Votorum Religiosorum veniunt, quæ emittuntur in vera aliqua, & ab Ecclesia approbata Religione. Talis Religio non est Institutum Anglicanarum Virginum, ut patet ex Num. 6. & duobus seqq. & ibi allegato Decreto S. Congr. quo asseritur, Virgines has verè Religiosas dici non posse; item ex Const. Clementis XI. relata Num. 5.

li ii 2

ubi

12. Conclu-
sio 3.

13. Conclu-
sio 4.

14.

15.

ubi idem Pontifex ait, *se non intendere ipsum earum Conservatorium in aliquo approbare, licet approbaverit Regulas, seu Institutum earum.*

17.
Rationes
dubitandi.

Dubium moveri potest, an Vota ista saltem sint Vota simplicia, non Religiosa? Triplex proponitur dubitandi Ratio. 1. Quia Regulæ hujus Instituti, à Sede Apostolica approbatæ, eas, quæ Institutum hoc profitentur, non obligant ad Vota ista edenda, sed tantum admonent ad Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam servandam, ut indicant Verba: *Diligant Paupertatem &c. Reg. 25. & Expedi imprimis ad profectum -- ut omnes perfecta Obedientia se dedam &c. Reg. 35.* quæ verba consilium potius, quam præceptum innuunt. Neque aliud eruitur ex Bullæ Confirmatoriæ Regularum verbis: *Pro majori Animarum profectu Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam profitentur*: nam præterquam, quod Consiliorum istorum Observantiam profiteri quis possit etiam sine Voto, contrà est, quia 2. Illo ipso tempore, quo Bulla hæc emanavit, ex Virgines Paupertatem, & Obedientiam tantummodo de Semestri ad Semestre ad manus Superiorissæ promittebant, nec utebantur verbo *Voveo, Gelobe* / quibus tamen verbis utimur, cum Voto verè tali nos obligamus. 3. Clarè satis nullitatem Votorum istorum videtur innuere Urbanus VIII. in Bulla Num. 14. *allegatâ*, ubi Institutum earum abrogavit, declaravitque, *Virgines hujusmodi ad Votorum prætorum Observationem nullo modo teneri, & obligari.* Sed

18.
Rationes
decidendi.

DICENDUM, esse verè Vota, quamvis non Religiosa; nam sic semper in Regulis appellantur, ut constat 1. *Ex Regula 8.* ubi ipsis injungitur Confessio Generalis, ab ultimâ inchoanda bis in anno circa tempus Renovationis Votorum, *um die Zeit der Erneuerung der Gelübden.* 2. *Ex Regula 23.* ubi monentur, ut tria Vota emitti solita, scilicet Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, velut triplicem suo vivendi modo murum omnes peculiari modo conservare studeant, nihilque, quod illum ullatenus debilitare, aut violare possit, admittant, *Sollen auch alle mit sonderem Fleiß die drey Gelübde / so pflegen abgelegt zu werden / nemlich der Keuschheit / Armuth / und Gehorsam / als ein dreysache Maur nach unserer Weiß zu leben / zu bewahren sich bemühen.* 3. *Ex Regula 24.* ubi iis, quæ Novitiatum absolverunt, injungitur, ut singulis annis bis Vota sua publicè renovent, & ad talem Renovationem, præmissâ triduanâ Collectione, se præparent: *Alle halbe Jahr werden jene / so den Novitiat vollendet / ihre Gelübde öffentlich erneuern / und sich zu solcher Erneuerung durch eine vorgehende dreytägige Versammlung bereiten.*

19.

Præterea, quod Vota ista verè, & propriè Vota sint, patet ex Formula, quâ Vir-

gines Anglicanæ nunc utuntur; utuntur enim verbo, *Gelobe* / quod idem est, ac *Voveo*, quod Verbum in materia, & objecto Voti capace, si Promissio talis DEO fiat, propriè Votum significat. Ulteriùs ad Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam servandam se obligant juxta Regulas Instituti sui. Ex quoducitur hoc Argumentum: Dum Virgines istæ ad Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam servandam se obligant, id faciunt juxta Regulas Instituti sui, & non aliter, quam quo modo in his præscriptum est. In his autem Regulis præscribitur, ut ad ea servanda se obligent Religione Voti; semper enim in his Promissio, quam faciunt, ut *Num. præc.* vidimus, Voti nomine appellatur: igitur censerì debent obligare sese Religione Voti; atque adeo patet de intentione vovendi. Habitâ autem hæc intentione,

Concluditur ex ipsâ Voti definitione, quod votis Anglicanarum Virginum nihil desit, quod alias ad Substantiam propriè dicti Voti requiritur; nam juxta Definitionem ab omnibus receptam Votum est promissio de Bono meliori liberè DEO facta, adeoque ad Substantiam illius requiritur hæc quinque. 1. Ut sit Promissio, & non tantum simplex aliquod propositum. 2. Ut sit Promissio vera, scilicet cum animo se obligandi. 3. Ut illa fiat liberè, seu cum advertentia Rationis, & deliberato Consensu voluntatis. 4. Ut fiat immediatè DEO, & non alicui Creaturæ, quantumvis Sanctitate præcellenti. 5. Ut fiat de re non solum possibili, & honesta, sed etiam de meliori Bono. Hæc autem omnia habentur in Votis, hic in Quæstionem adductis; nam 1. Promissionem indicat Verbum *Gelobe* / item Verbum *Verspriche*. 2. Animum se obligandi indicant Verba: *Secundum Regulas nostri Instituti: Alles nach Aufsweisung der Satzungen unseres Instituts*; Regulæ autem, ut vidimus, volunt Promissionem hanc fieri serio, & cum animo se obligandi. 3. De Libertate, & Advertentia Rationis nullum fieri dubium potest; fit enim ista Promissio post exactum tempus probationis, quo tempore sicut de aliis, ita etiam de Obligatione istius Promissionis sufficienter instruuntur. 4. Hæc Promissio, licet fiat in manus Superiorissæ, tamen immediatè fit DEO, ut patet ex Verbis: *Gelobe deiner Hötelichen Majestät / unserer Obristen Vorsteherin an deiner Statt.* 5. Denique hæc Promissio est de meliori Bono; est enim de observandis Consiliis Evangelicis, quæ Christus Dominus proposuit iis, qui ad Perfectionem Vitæ Spiritualis contendunt. Ut adeo Promissio ista habeat omnia, quæ ad Substantiam Voti simpliciter, & propriè dicti à Doctoribus requiruntur.

Neque obstant Argumenta in contrarium allata. Ad 1. Licet verba Regulæ 25. & 35. videantur potius Consilium, quam Præceptum opposita.

ceptum innuere, tamen concordandæ sunt istæ Regulæ cum Regula 8. 23. & 24. ubi Promissio hæc simpliciter appellatur Votum, & iungitur, ut hanc facientes sub Religione Voti se obligent. Iisdem verbis utuntur Regulæ Societatis, quibus tamen non obstantibus, indubitatum est, quod Vota in hac emissâ verè, & propriè Vota sint. Et esto, Institutum Anglicanarum Virginum non præcipiat, sed tantum suadeat, ut talia Vota sub Obligatione Voti emittantur, plus non sequeretur, quàm quod arbitrarium sit ipsis emittere ista Vota; non verò, quod, si emissâ illa sint ex Regularum Præscripto, maior non sit Obligatio, quàm Promissionis homini factæ. Omnia Vota, quæ in Sæculo fiunt, ex nullo Præcepto fiunt, & tamen, postquam facta sunt, sub Obligatione Religionis sunt observanda. Ad 2. Eodem modo in Societate JESU ii, qui nondum Votis ultimis eidem addicti sunt, Vota Simplicia, post Novitiatum emissâ, singulis Semestribus renovant, nec tamen sequitur, quod Obligatio illorum se tantum de Semestri ad Semestre extendat, sed sunt de se perpetua. Pariter ergo de se perpetua erunt Vota Anglicanarum Virginum, & Renovatio Semestralis tantum erit Confirmatio Obligationis, per Vota post Novitiatum eorum emissâ susceptæ. Ad 3. Decretum Urbani annullans Vota Anglicanarum Virginum, locum duntaxat habuit pro tempore, quo nondum approbatæ erant earum Regulæ; nam post Approbationem Clementis XI. ut hæcenus vidimus, verè obligant ut Vota propriè dicta. Imò ipse Urbanus in Bulla cit. aperte stat pro valore Votorum, ante reprobationem Instituti hujus emissorum; facit enim distinctionem inter Vota, quæ tum erant edita eo animo, ut illo statu, ab Apostolica Sede reprobanda, ea emissura non fuissent, & inter Vota, quæ in quemcunque eventum votare voluerunt. De priorum Obligatione Pontifex laudatus ita videntes, *utpote conditione, sub qua tacite voverunt, non impletâ, omnino solutas, & liberas esse declarat.* Eas autem, quæ Vota ediderunt posteriori modo, cum illa Vota sint Simplicia, concedit, ut, seorsim tamen ab aliis hujus reprobati Status, in Sæculo possint sub Ordinarij Obedientia, & cum usu, non Dominio Bonorum, sed tantum cum facultate de iis in vita, & in morte ad usus pios disponendi, vivere; iis verò, quæ ad conjugalem Statum transire voluerint, permittit, ut Matrimonium, servatis alijs servandis, contrahere possint, in quem finem, eisdem, quatenus opus sit, omnium Votorum defacto emissorum Relaxationem impertitur. Ex quo sequitur, & aperte liquet, hæc Vota etiam tum fuisse verè Vota, & quidem perpetua, saltem sub Conditione, quamdiu vixerint in hac Congregatione, juxta Votentium intentionem. Cum ergo talia Vota defacto emittant Anglicanæ Virgines, illa veram Votorum rationem habe-

bunt, & sub hac formalitate obligabunt saltem, quousque in Instituto isto permanerint, à quo tamen juxta hoc ipsum Institutum non nisi ex rationabilibus, & à Superioribus approbatis causis recedere queunt, propter Obligationem, quâ se DEO obstrinxerunt ad manendum constanter in dicto Instituto.

QUÆRITUR III.

An Superiorissa Anglicanarum Virginum possit acceptare Subditarum suarum per Vota ab his emissâ Traditionem?

Videtur obstare Bulla S. Pii V. incipit *Circa Pastoralis*, edita 1566. & multò magis 2. Constitutio Urbani VIII. sæpiùs hic allegata, ubi prohibetur sub pœna Excommunicationis, & in Virtute Sanctæ Obedientia, ne Virgines istæ alias ad Statum istum, quem in Constitutione hac reprobatur idem Pontifex, admittant, vel recipiant, nec ulli earum ad hæc Consilium, Auxilium, vel Favorem directè, vel indirectè, aut alijs quomodolibet præstent. 3. Sic recipiendo Vota videtur Superiorissa exercere Actum Jurisdictionis Ecclesiasticæ, quam non habet.

Verum ista non obstant; nam Ad 1. Bulla S. Pii V. cit. ut patet ex Nicolio *Flor. V. Congregatio. n. 7.*

procedit tantum de Congregationibus Mulierum, Clausuram sub tribus Votis Solennibus non servantium; tales enim Congregationes non debent permitti, neque concedi, quod congregentur in aliquo Oratorio. Virgines autem Anglicanæ non emittunt Vota Solennia, sed Simplicia tantum. Ad 2. Patet Responsio ex dictis Num. 14. Nam Reprobatio Instituti hujus tantum processit ex falsis accusationibus, de quibus deinde edoctus Pontifex contra Institutum hoc nihil amplius movit, nec postea aliquid moverunt alii Pontifices, præsertim postquam Virgines istæ Titulum Societatis JESU mutarunt in Titulum Societatis MARIÆ. Imò, ut vidimus, Clemens XI. Regulas earum, & vivendi modum, consequenter ipsum Institutum, quippe quod ipsis innitur, expressè approbavit, licet non approbaverit ipsum Conservatorium, scilicet tanquam Statum Religiosum. Ad 3. Acceptatio Votorum etiam Solennium non est Actus Ordinis, vel Jurisdictionis Ecclesiasticæ, ad Potestatem Clavium pertinentis, sed tantum Potestatis Dominativæ penes Abbatem, vel Abbatissam, aut Superiorissam residentis, ut cum communi Canonistarum docent

Azor. p. 1. l. 12. c. 5. q. 6. fin. Tambur. tom. 4. de Jur. Abbatiss. D. 4. q. 1. Sanch. l. 5. mor. c. 4. n. 76. Pirhing. ad tit. de Regul. n. 135. Wex. Ariadn. p. 5. tract. 3. c.

22.
Rationes
Dubitandi

23.
Solvuntur

§. 2. 19. & supponi videtur in c. con-
sult. 4. qui Cleric. vel vovent.

Proinde citati Doctores concedunt, etiam
Vota Solennia recipi ab Abbatissis posse: &
sic ab immemoriali observatur in Monaste-
riis Holzensi, & Kuebachensi, Ordinis S.
Benedicti, ubi Moniales in Abbatissarum
suarum manus Professionem suam depo-
nunt.

24.
Deciditur
Quaestio.

DICENDUM ergo, valori Votorum,
quæ emittuntur à Virginibus Anglicanis, ni-
hil obesse, etsi illa deponantur in manibus
Superiorissæ. Nam 1. Etiam ipsa ex Fi-
liarum suarum Electione habet Potestatem
Dominativam, & Oeconomicam, consequen-
ter admittendo hæc Vota non excedit limites
Potestatis suæ. 2. In manibus Superiorif-

æ, ut Num. præc. vidimus, deponi à Monia-
libus potest etiam Solennis Professio. Igitur
multo magis Vota Simplicia, quæ sola emit-
tunt Virgines Anglicanæ, præsertim quia
3. Ad valorem Votorum Simplicium non
requiritur acceptatio Superioris, prout re-
quiritur ad valorem Professionis Solennis.
Proinde cum ejusmodi Vota Simplicia va-
leant, etiam si illa à nullo hominum acce-
ptentur, quippe ad quæ sufficit, si acce-
ptentur à DEO, quod semper fit, quando
materia Voti est de meliori Bono, valori
Votorum istorum non oberit, etiam si con-
cederetur, quod Superiorissæ Anglicanarum
Virginum non habeat Potestatem ac-
ceptandi Vota Subditarum
suarum.

CONSILIUM LVII.

In Causa violati Privilegii Cæsarei de non imprimendo Libros, à Patribus Societatis editos, sine hujus Licentia.

SUMMARIUM.

1. seqq. Facti Species, ubi refertur Privilegium
Cæsareum, quod violatum est à Francofurtensibus,
imprimendo Annales Brunneri.
4. seqq. Vanæ Excusationes Librarii.
9. Privilegium Quaestio non limitatur ad
certum tempus.

10. Privilegium per non usum non amittitur.
11. 13. Non tantum recudere, sed etiam absque
licentia recufos distrabere libros prohibetur.
12. Ignorantia crassa non excusat.
14. Librarium in pœnas violati Privilegii inci-
disse, deciditur.

FACTI SPECIES.

I.



Abet Societas JESU per Ger-
maniam Privilegium, à glor.
mem. Imp. Rudolpho II.
Matthia, Ferdinando II. & III.
item à Leopoldo, & Jole-
pho concessum, novissimè
que Anno 1712. ab hodierno Augustissimo
confirmatum, vi cujus omnibus, & singulis
Typographis, & Bibliopolis - - atque aliis
quacunque Librariam Negotiationem exer-
centibus serid vetatur, & inhihetur, - - ne
quis Libros, - - ac scripta, ab ipsis Patri-
bus hætenus, tametsi cum ejusdem Societatis
consensu jam semel, aut sapius, etiam extra
S. R. Imperii fines edita, intra S. R. Imperii,
Regnorumque, ac Provinciarum - - Hæredi-
tariarum fines - - recudere - - vel aliò - -
recudenda - - mittere - - aut impressa - -
adducere, vendere, vel distrabere clam, seu
palam, citra præmemoratorum Patrum con-
sensum, ac testimonium - - audeat, vel præ-
sumat: cum expressa hac gravissima pœna,
ut, si quis - - secus faciendo Privilegium hoc
- - temerario quodam ausu negligere, trans-
gredi, aut violare non fuerit veritus, is non

solum prædictis Libris - - recufis, & addu-
ctis (quos prænominati PP. eorumque Manda-
tarii, ubicunque locorum deprehensos, vel pro-
pria authoritate, vel Magistratus illius ope, &
auxilio sibi vindicare poterunt) defacto privan-
dus, sed viginti insuper Marcarum auri puri,
puti, probi, Ærario, seu Fisco Imperiali, fraudis
nimirum vindici ex una, ex altera verò semisse sa-
pè dictis PP. eorumque Mandatariis, omni spe-
venia, ac remissionis præcisâ, pendendarum,
multam dare damnatus sit.

Animadversum autem est successu tem-
poris, quòd plures Typographi in Romano
Imperio, non obstante hoc Privilegio, ausi
sint Libros, à PP. Societatis editos, propria
authoritate, nullâ à Superioribus ejusdem
Societatis petita, vel obtentâ ad hoc licen-
tiâ, non solum recudere, sed etiam corum-
pere, alterare, & contra sensum, ac volun-
tatem Authorum, proprio suo beneplacito,
augere, diminuere, & variare, cum maxi-
mo tum ipsorum Authorum, tum Societatis
universæ præjudicio. Novissimè transgres-
sionis hujusmodi se reos fecerunt Joannes
Fridericus Gleditsch, & hujus frater, qui
Anno 1710. Francofurti ad Mœnum Anna-
les Boicos, olim Anno 1626. à P. Andrea
Brun-